

ACADEMIA ALFONSIANA
INSTITUTUM THEOLOGIAE MORALIS

STUDIA MORALIA

I

EDITRICE ANCORA ROMA

INDEX

VISSER J., Introductio	7-10
HÄRING B., Heutige Bestrebungen zur Vertiefung und Erneuerung der Moraltheologie	11-48
MURPHY F., The background to a history of patristic moral thought	49-85
VEREECKE L., Préface à l'histoire de la théologie morale moderne	87-120
HORTELANO A., Teología moral y economía	121-143
FORNOVILLE TH., Existentialisme et éthique	145-185
HUMBERT A., L'observance des commandements dans les écrits Johanniques (Evangile et Première Epître)	187-219
ENDRES J., Anteil der Klugheit am Erkennen des kon- kret Wahren und am Wollen des wahrhaft Guten	221-263
CAPONE D., Dissertazioni e Note di S. Alfonso sulla pro- babilità e la coscienza dal 1748 al 1763	265-343
O'RIORDAN S., The nature and function of pastoral psy- chology	345-387
REGAN A., The word of God and the ministry of prea- ching	389-449

INTRODUCTIO

Academia Alfonsiana primitus erecta decreto S.C. Religiosorum, die 25 Martii 1957, in institutum superius pro studio et magisterio theologiae moralis et pastoralis promovendo, inde, rebus prospere procedentibus, a S.C. de Seminariis et studiorum Universitatibus die 2 Augusti 1960 approbata fuit atque Pontificiae Universitati Lateranensi tamquam pars integrans adnexa, ita ut in futurum facultatem obtinuerit alumnos suos, qui cum fructu studia ibi absolverint, laurea doctorali insigniendi. Per hanc Academiam, quae nomen defert S. Alfonsi, Doctoris Ecclesiae atque coelestis Patroni omnium qui studio theologiae moralis incumbunt, sodales Instituti religiosi ab eo erecti fideliter et efficaciter opus, quod ipse suo tempore in theologia morali et pastoralis incoepit quodque abundantes fructus, etiam saeculis supervenientibus, in Ecclesia produxit, continuare intendunt: scilicet in adaptatione ad tempora actualia, ad eorum problemata atque modum cogitandi, attamen fideliter sequendo vestigia sanae traditionis populi christiani et magisterii Ecclesiae, scientifice explorare normas morales, quas Deus humanitati lege sua naturali ac revelata proponit, atque explorata pastoraliter contemporaneis communicare.

Postquam autem Academia per primum lustrum suae existetiae orali magis magisterio incubuerit, quo alumnos suos ad docendum et scientifice laborandum educare satagit, nunc scriptis quoque scientiae catholicae promovendae in campo morali et pastoralis modestum tributum in futurum afferre desiderat. Ad quem tamen finem attingendum utile visum est, non quidem novum periodicum fundare, quippe quod mundus theologicus hodie foliis periodicis revera superabundare videatur; sed publicationibus, datis temporibus tamquam serie continuata, edendis prout occasiones se praebebunt, ideas circa principia fundamentalia necnon

discussiones practicas expertis praesertim theologis proponere. Itaque praeter seriem monographiarum «Studia theologiae moralis et pastoralis, edita a professoribus Academiae Alfonsionae in Urbe» cuius hucusque 7 volumina prodierunt lingua germanica (quaedam etiam in alias linguas traducta) initium dare intendimus seriei «Studia moralia», cuius heic primum volumen humiliter offertur. Omnes articuli, qui in eo continentur scripti sunt a professoribus Academiae, qui ad Congregationem Ss. Redemptoris pertinent; libenter tamen in posterum contributa accipientur aliorum theologorum, qui fraterne nobis collaborare desiderant.

*
**

Dissertationes huius voluminis titulo comprehendi possunt: «lineamenta fundamentalia»: maxima enim ex parte proponere vel dilucidare intendunt themata, quae tamquam fundamentalia considerari debent pro recte instituendo studio theologiae moralis et pastoralis. Tres autem partes in hac collectione apte distingui poterunt:

1. Prima pars quaedam themata proponit, quae programmatica considerari oportet pro suscipiendo studio scientifico theologiae moralis sive in sua generali extensione, sive in quibusdam eius partibus integrantibus vel subsidiariis. Ita B. HÄRING ideas suas generales exponit circa proprietates, quae hodie exiguntur vel desiderantur ad hoc, ut doctrina moralis modo nostris temporis magis adaptato redigatur et proponatur. Quoad investigationem scientificam circa fontes et historiam idearum, formularum et redactionis technicae in theologia morali elaborantur quaedam elementa praeliminaria, necessario prae oculis habenda in studio doctrinae moralis temporis patristici (MURPHY) ac periodi modernae: scilicet illius temporis quo composita sunt praecipua opera specificè moralia, quae structurae et methodo plurimorum tractatum moralium nostri temporis subiacent (VERECKE). Recta quippe methodus investigandi doctrinam Patrum et auctorum omnino procedere debet a cognitione conditionum spiritualium et materialium, in quibus opera eorum scripta sunt.

Tamquam specimen, quomodo tractatui omnis materiae moralis praecedere debeat positio fundamenti theologici, offertur

*consideratio circa instituendam theologiam vitae economicae (HORTELANO); hac enim consideratione omne studium de habitu-
dine et operatione hominis in campo oeconomico dirigi debet in
ordinanda ea ad finem ultimum; quin, sicut saepe observari poterit,
in hoc studio nimis a spiritu christiano erga bona temporalia
abstrahatur.*

*Sequitur in fine huius partis conatus adumbrandi expositio-
nem philosophicam phoenomeni et scientiae moralis, quae hodie-
nae menti existentialiter cogitanti magis correspondet, quin ad
hoc principia philosophiae christianae derelinquantur (FORNO-
VILLE).*

*2. In secunda parte quidam articuli offeruntur, qui magis
se referunt ad principia quae practicam vitam moralem dominare
debent. Primo A. HUMBERT exponit, quomodo observantia manda-
torum iuxta mentem Novi Testamenti et in specie S. Ioannis acci-
pienda est non sensu legalistico sed tamquam medium et expressio
communione cum Deo Patre et Iesu Christo. Duo deinde articuli
tractant de parte quam habet virtus prudentiae in ordinanda
vita morali: in genere scilicet in cognoscendo veritatem moralem
et volendo verum bonum, per virtutes morales exsequendum
(ENDRES); in specie denique in efformanda conscientia recta:
quomodo S. Alfonsus, in elaborando suo systemate morali de
certitudine conscientiae requisita ad recte agendum, processit non
modo iuridico sed appellando ad principia prudentiae christianae
(CAPONE). Patet ex hoc articulo, quam intricato labore et reflexione
— a quibusdam historicis theologiae moralis obfuscatum vel male
interpretatum — S. Alfonsus pervenerit ad defensionem libertatis
christianae, a rigidiori systemate nimis coarctatae.*

*3. Tertia pars proponere et elaborare satagit quaedam the-
mata ad Theologiam pastoraalem pertinentia. S. O'RIORDAN cona-
men praesentat delineandi schema Psychologiae pastoralis tam-
quam scientiae theologiae, quae scilicet describit actus psycho-
logicos requisitos in communicando et recipiendo nuntio revelato,
adhibendo ad hoc omnia inventa psychologiae modernae. A. REGAN
in fine theologiam delineat praedicationis verbi Dei, qua Verbum
divinum hominibus communicatur et fides excitatur ad illud re-
cipiendum.*

*
* *

Articulis supra descriptis non complecti intenditur aliquod schema definitum aut unitarium; offerunt tantummodo quaedam themata vel specimina hinc illinc arrepta, prout cuique auctori videbatur. Notatum in fine vellemus, quod quidem dissertationes hic collectae tamquam programmatae Academiae Alfonsianae considerari possunt, in concreta tamen elaboratione responsabilitatem de materia, quae in illis continetur, soli auctores individuales portant.

J. VISSER